



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Et concionatur Italicè.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

modi tatis suę modum vllum attineret. Latissimè enim patet hæc sponsio: si que religiosè, vt semper ille præstitit, obseruetur, nihil homini prope integrum, liberumque relinquit: nec facile quisquā nisi obedientiæ absolutissimæ studiosus intellexerit, quanta in exercitatione tali virtutis præstantia sita sit: quam frequens, & animosum, & magnificum sacrificium. Sub ea destinatos Siciliae socios, antequam Roma discederent, voluit beatus Pater ad Pontificem summum vniuersos adire, ab eo faustam itineri, ac coeptis precationem accepturos. Et quanquam aderant viri graues, & eloquentes alij, tamen Canisio affandi Pontificis partes imposuit: qui latinam orationem minimè prolixam, sed admodum piam, temporique accommodatam habuit. Peruectus Messanam, veterem obtinuit morem industriæ, atque sedulitatis suæ: vt nequaquam simplici labore, munereq; vno contineretur; sed quicquid in rem animarū caritas, obedientiæue offerret, cupide, ac solerter arriperet. Non itaque dicendi præcepta duntaxat tradebat summa in gymnasio cura, & præclaris identidem orationibus declamabat latinè ad nobilem, doctamq; coronā, sed etiam sacris diebus

verba

*Destinatus in
Siciliam pro
sociis Ponti-
ficem allo-
quitur.*

*Messane do-
cet Rhetor-
ricam.
Et conciona-
tur Italicè.*

verba faciebat ad populum. Quippe, qua erat celeritate ingenij, & caritate salutis alienæ, Italicam linguam breui tempore ita perceperat, nō solum vt commode, sed vt eloquenter posset ad concionem differere. Et quoniam semper habuit in more absentibus quoque prodesse per literas, quæ omnes à iuvene licet conditæ, sanctam quandam Patrum priscorum antiquitatem, & grauitatem spirabant, ad socios aliquot, qui Colonia recens in Urbem venerant, multa religiosissimè, atque hæc inter cetera scripsit, beneficium in primis cōmendans, quod eis in Romanam domum veniendi potestas fuisset. Quid enim est? inquit, quid valet obsecro, veros, & exercitatos in Christo Patres nancisci, à quorum sententia tutissime totus pendeas, malique nihil omnino expectes, sed ea solum, si velis, quotidie accipias, quæ nullis mundi præfidiis, & ne maximo quidem literarum studio, tibi aliquando pares? In hac Schola diues abunde paupertas discitur: libera verè obedientia percipitur; gloriosa præcipue humilitas, & nobilissimus Iesu crucifixi amor solide comparantur. Ego vero, cum pulcherrimam illam philosophandi rationem, quæ istic nemini deest, occasionem

*Quales eius
epistolæ essent
etiam Iuue-
nis.*

*Religiosa vo-
catio com-
mendatur.*

que